

et quidquid inde conromanæ sedi suppeditavit, atque
se tegebant, et quotices omnes ad rectam et legi-
Christi corpus et sangadministrationem erudiuit, et
bant : cæteros in Henricum Senonensem, Step-
abesse. Præter ha, aliosque permultos ab aulico vi-
in igne et spiritu ad mores episcopali ordine dignos
Baptismum multos etiam e suis in aliorum exemplum
Denique protulit. Clericis omnibus salutaria mo-
ptizatur dedit in sermone de Conversione ad clericos.
Quæ omnia si quis accurate videre cupit, legat li-
brum sextum de Vita sancti Bernardi Gallice edita,
cujus Vitæ tres libri posteriores ex ejus scriptis
magna cum pietate et cum insigni delectu contexti
sunt. De moribus et officio episcoporum legenda in
primis epistola 42, ad Henricum Senonensem, quæ
in Tractatum classem modo tomo secundo relata
est. Merito itaque in libro de episcopis Virdunen-
sibus dicitur is esse Bernardus, *cujus consiliis regna,
et ecclesiæ Gallicanæ hodie*, inquit autor in Spici-
legio Acheriano tom XII, pag. 314, *innituntur.*

475. Erat in eo mirifica dicendi gratia ut non pos-
set ne ipsius quidem stylus, licet eximius, totam
illam dulcedinem, totum retinere fervorem (Quippe)
placabilem, et persuasibilem, et eruditam linguam
dederat ei Deus, ut sciret, quem et quando deberet
proferre sermonem : quibus videlicet consolatio vel
obsecratio ; quibus exhortatio congrueret vel increpa-
tio : ut nosse poterunt aliquatenus qui ejus legerint
scripta, etsi longe minus ab eis, qui verba ejus sæ-
pius audierunt. Quod si ejus scripta legendo ita
accendimur, quanto magis illi, qui loquentem au-
diebant ? Non itaque mirum, quod Deus tot et tanta
in sui temporis hominum salutem per eum opera-
tus est.

476. « Quis vero explicet, quæ et quanta ab eodem
patatra sint ad monastici instituti primigenium
fervorem denuo suscitandum ? Testantur hoc eximie
ejus hac de re epistolæ ad scriptiones, liber De præ-
cepto et dispensatione, Apologia ad Guillelmum ab-
batem, varique sermones : in quibus monachos ad
retinendum revocandumque veterum Patrum pri-
marium institutum animavit, id est, ad poenitentiae
labores, austeritates, modestiam et humilitatem,
paupertatem, mundi contemptum, amorem solitu-
dinis ac silentii, et ad continuum profectum : in
quibus totius rei monasticæ cardinem versari intel-
ligebat. Hinc non immerito Petrus Venerabilis in
epistola, quæ est inter Bernardinas 228, vocat eum
num. 30, *lacteam fortemque columnam, cui inni-
titur monastici ordinis edificium ; ac rutilum sidus
quod exempto, verboque non solum monachis sed
et toti Latine Ecclesiæ suo tempore insigniter lu-
cem donavit.* »

477. « Laurentius de Leodio in libro de episcopis
Virdunensibus, duos ordines, Cisterciensem et Præ-
monstratensem, comparat cum duobus cherubin
propitiatorum obumbrantibus, quorum unus Cister-
ciensis, duce Bernardo sanctissimi nominis abbate,

A monasticum ordinem, jam pene lapsum, ad pri-
mam apostolicæ vitæ normam reparavit. (Et Cister-
ciensis quidem, per istud temporis, inquit,
triennium jam in ducentas circiter abbatias ma-
gni nominis, meriti, et numeri accrevit ; et usque
in barbaros Sarmatas et extremos Scythas jam
diffundi cepit. Tantum potuit Bernardi et opinio
sanctitatis, ejusque discipulorum ! Inde factum est,
ut ordinis Cisterciensis, qui Bernardum alumnum
habuit, quasi fundator habitus sit ipse Bernardus, ab
ejusque monasterii Clarævallensi dictus ordo Claræ-
vallensis suo tempore ; imo postea et S. Bernardi :
etsi id vetuit Innocentius VIII in litteris unionis mo-
nasterii Clarævallensis cum Cisterciensi.

478. « Hinc in litteris Alberonis episcopi Virdu-
nensis apud Laurentium mox laudatum, abbates
Trium fontium, et de Caladia dicuntur de Ordine
Clarævallensi. Et a Petro Cellensi Cisterciensis
sive Clarævallensis ordo vocatur in lib. I, epistola 24.
Sic in epistola Samsonis Remensis antistitis, quæ
est ordine 435 inter Bernardinas, ordinis Claræval-
lensis mentio non semel habetur. Quanquam dici
potest, Ordinis Clarævallensis nomine lineam tantum
Clarævallensem, non totum Ordinem, sæpius desi-
gnari.

479. « Qualis ac quanta fuerit sive Cisterciensium,
sive Clarævallensium sub Bernardo districtio, et
rigiditas, non est necesse hoc loco exponere, quando
id satis superque patet tum ex Bernardi litteris ac
scriptis, tum ex ipsius Vita, maxime ex lib. I,
cap. 5, ubi primi Clarævallensium incolæ Deo servisse
memorantur in paupertate spiritus, in fame et sili,
in frigore et nuditate, in vigiliis multis. Pulmentaria
sæpius ex foliis fagi conficiebant. Panis ex hordeo,
et vicia, et milio erat. Ita Guillelmus testis ocu-
latus. Bernardo in epistola I ad Robertum olus,
faba, pultes, panisque cibarius cum aqua Cister-
ciensium delicie perhibentur. Nec aliæ apud Fastre-
dum in epistola sua inter Bernardinas. *Tanta in
cibo parcimonia*, inquit Stephanus Tornacensis in
epistola 72, *ut duobus tantum pulmentis utantur,
quæ aut ager ex leguminibus, aut ex oleribus hortus
affert. Ipsi pisce tanto varius utuntur, quanto fre-
quentius apud eos audiri solet quam videri.* Plura
videtis apud eundem auctorem, et apud Petrum
Cellensem.

D 480. « Perseveravit hic ordinis vigor [fort. rigor]
non modo ad finem sæculi XII, quod patet ex Petri
Blesensis epistola 82, sed etiam ultra medium sæ-
culum XIII, testante Jacobo a Vitriaco in Historiæ
occidentalis cap. 13. *Carnes, inquit, nisi in gravi
infirmirate non manducant. Piscibus, ovis, lacte et
caseo non vescuntur communitè*, etc. Eandem vitæ
severitatem nos Galli etiam nunc reforescere con-
spicimus in piissimis monachis beatæ Mariæ de
Trappa, aliisque nonnullis eorum imitatoribus, qui
vitæ suæ puritate, austeritate, solitudinis amore,
silentio, labore, aliisque religiosis virtutibus, id
factu possibile adstruunt, quod de Bernardo, ejus-

que discipulis legebamus, nec fere credebamus. A
lutatus Spiræ, an ejusdem virgineo lacte irro-
ratus.

481. « Subjungit idem Jacobus a Vitriaco in ca-
pite sequenti, feminarum sexum fragiliorem, a prin-
cipio ordinis ad tantæ districtiois severitatem aspi-
rare ausum non fuisse ; sed id demum in morem
postea venisse. Verumtamen vivente ipso Bernardo
non fuit omnino expers istius instituti femineus
sexus. Id probat Hermannus Laudunensis monachus
in lib. III de miraculis sanctæ Mariæ, cap. 17, ubi
agit de monasteriolo Cisterciensium virginum ad
Laudunum Parthenone, a Bartholomæo episcopo
constructo : in quo sanctimoniales sub Guiburge
abbatissa, *depositis omnibus lineis indumentis atque
pelliceis, solis tunicis laneis utebantur ; et non solum
nendo, vel texendo, sed etiam in agris fodiendo, et
cum securi et ligone silvam succisam exstirpando,
spinas et vepres evellendo, manibus propriis assi-
due laborantes, cum silentio victum sibi querebant,
vitamque Clarævallensium monachorum per omnia
imitabantur.*

482. « Longius progredere oratio, si, quotquot
Bernardus ad monasticam vitam pertraxit, illu-
striores utriusque sexus homines, quos scilicet no-
vimus, in medium adduceremus : quales fuere Hen-
ricus, Ludovici VI Francorum regis filius, Ermen-
gardis Britannicæ ducissa, Adelais Lotharingicæ, et
alii, aliæque innumeræ. Verum illud paulo minus
prædicandum et mirandum, quod hominibus in sæ-
culo remanentibus piissimum et rectissimum vi-
vendi rationem persuasit : *Adhæsit ei præ omnibus
quidem ex principibus comes Theobaldus, et se, et
sua in subsidia Clarævallensium exposuit, et in manibus
abbatis posuit animam suam, deposita altitudine
principali, se inter servos Dei conservum exhibens,
non dominum, obediret ad omnia, quæcunque domus
illius infimi postulassent. Quid tantus princeps
monente et hortante Bernardo præstiterit, tum in
construendis, dotandis, juvandisque monasteriis,
tum in egenis sublevandis, tum denique in exer-
cendo optimi principis officio, testis est Ernaldus
abbas, ex quo præmissa retulimus : testes etiam
Bernardi epistolæ de eodem. Theobaldi pium stu-
dium æmulabatur nobilis et illustris femina Beatrix,
ut discimus ex epistola 118.*

483. « Denique quantum Bernardi auctoritas in
corrigenis hominum moribus valuerit, exemplo est
conversio Guillelmi Aquitanicæ ducis, quem ex per-
tinacissimo schismatico, obsequentissimum et piis-
simum principem effecit. Ut paucis cum Gaufrido
absolvam, quæ scelerata non arguit ? quæ odia non
extinxit ? quæ scandala non compescuit ? quæ schi-
smata non resarcivit [MABILL. compescuit] ? quas hæ-
reses non confutavit ? » Hæc sunt, quæ de morum
profectu, in Ecclesia Dei a magno Bernardo in omne
hominum genus quaquaversum diffusio, collegit Ma-
billonius. Quæ vero ad hæreses et schismata spe-
ctant, viri dexteritate, ac labore protrita, sat mul-
tis alibi a nobis tractata sunt.

§ XLVI. An S. Bernardus ab imagine Deiparæ sa-
PATROL. CLXXXV.

484. Superius in nostro Commentario prævio § 40,
tria illustria facta, quæ Patri sanctissimo ascribuntur,
in hunc reservata sunt locum. Primum erat de ima-
gine Virginis Deiparæ, quæ Spiræ ter a viro sancto
salutata, semel ei salutem reddidisse, « cunctis au-
dientibus, » memoratur apud Manricum ad annum
1146, cap. 10, num. 6. Alterum erat de lacte vir-
gineo ejusdem Deiparæ, quo irroratus fertur S. Ber-
nardus, ex eodem auctore ibidem num. 8. Tertium
denique in eo erat positum, ut beatissimæ Virginis
Mariæ voce salutatus fuerit apud cœnobitas Afflighe-
menses. De singulis dicamus. Primum narrat mox
citatus historicus Cisterciensis ex Joanne Naclero,
qui de illa re loquens, « In hoc, inquit, concordant,
quod Bernardus Spiram venerit, ubi tum erat tan-
tus populi concursus ad eum venerandum, ut im-
perator, ne populus eum conculcasset, manibus suis
illum exportare sit dignatus. Exstant circuli in pa-
vimento ecclesiæ majoris tres, ubi prostratus in
terram vir Dei, ter fertur salutasse Virginem Ma-
riam. Ad quem Virgo Maria : « Salve, inquit, Ber-
narde ! » Hæc scribit Joannes Naclerus genera-
tione 39, inter alia, quæ memorat ad annum Chri-
sti 1142. Prodigiosam hanc Deiparæ salutationem
confirmare conatur idem Manricus sic pergens :
« Circulis verba ea sculpta sunt, quæ a fidelibus so-
lent decantari sub antiphonæ finem ; quam a prin-
cipio appellamus *Salve, Regina*. Hanc autem desinen-
tem in illis verbis *et Jesum benedictum fructum ven-
tris tui nobis post hoc exsilium ostende*, Bernardus
Pater recitasse fidenter fertur, et recitatæ trinam
illam invocationem addidisse fidentius, ad quam
imago Virginis commota, atque acceptans obse-
quium, audita est simili modo sanctum resalutasse :
Salve, Bernardus. » Hæc ibi ; super quibus notationes
nonnullas lectori, partium studiis vacuo, et veritatis
amanti, repræsentato.

485. Notus imprimis abunde est Joannes Nacler-
us, quem natione Germanum, patria Suevum, di-
gnitate præpositum Tubingensem fuisse lego. Edi-
dit hic Chronicon universale, succincte compre-
hendens res memorabiles sæculorum omnium ac
gentium ab orbe condito usque ad annum 1500.
Floruit autem exeunte sæculo sexto decimo, atque
adeo quatuor circiter sæculis post obitum sancti.
Nec vero rō fertur, quo utitur Naclerus, parum ex-
tenuat rei gestæ fidem. Melioris itaque notæ testi-
monio videtur opus, ut prædicta Deiparæ ad Ber-
nardum salutatio tanquam historice vera admitta-
tur : ideo præsertim, quia in libro vi. Vitæ S. Ber-
nardi seu miraculorum parte I, cap. 2, ubi oculati
testes summa cum fide et accuratone tot tantaque
mirabilia de viro Dei referunt, quæ Spiræ contige-
runt, nullum habent de ista salutatione apicem ; ubi
tamen hanc silentio non præterire, tantopere con-
ducebat ad sancti gloriam. Nec concipio, quomodo
rem gestam ignorare potuerint, cum, « cunctis au.

dientibus, » uti est apud Manricum supra citatum, evenerit.

436. Quamquam vero ex antiquorum de hac re silentio definire certo nolumus, salutationem istam esse falsam; priusquam tamen eam admittamus tanquam veram, omnes rerum Bernardinarum apprime gnaros et studiosos rogatos impense volumus, ut accommodata dignentur subministrare documenta reipublicæ litterariæ, quibus factum præsens, quod videtur nobis minus probabile, vere et historice probabile fiat. Nec rem conficit R. A. P. Augustinus Sartorius, sacri Ordinis Cisterciensis asceta, quando in suo Cistercio bis tertio, Vetero Pragæ anno 1700, typis excuso titulo 4, qui est de Sancto Bernardo Cisterciensium propagatore, pag. 91, de statua, quæ sanctum salutarit, sic scribit: « Hæc ipsa Virginis statua ad hanc usque nostram ætatem eximio fidelium cultu Deiparæ ac Melliflui clientis memoriam conservat perennem. » Hæc enim qualisqualis memoria seu traditio (utinam non mere popularis!) nequitiam videtur enervare argumenta superius proposita. Audi jam absurdam ineptiam, qua hanc historiam deturpat Guilielmus Eysengreinus, quem mox citabimus, ad annum Christi 1147: « His verbis a Bernardo prolatis, vox ab imagine erumpens Bernardum Deo cunctisque hominibus gratum adventasse indicat, omnibus, qui aderant, audientibus. Perculsus hæc voce Bernardus, admirando, imagini interdicit, mulieres in ecclesia tacere debere. » Quod quidem est nugari in re tam seria. Papebrochius noster in suo Itinere Romano Ms. quod anno 1660 suscepit, pag. 39, de statua Spirensi, quæ fertur salvere jussisse S. Bernardum, inter alia sic scribit: « Ad eam omnes nostri studiosi quotidie sub quintam conveniunt, ac Salve decantant cum litanis. » Ita ille. Laudanda porro est pia illorum fides, et religiosus erga Virginem matrem affectus. Jam vero quid dicemus de lacte Deiparæ, quo sanctum Patrem irroratum voluit, si in physico seu reali sensu hoc intelligendum censeant, non autem in mystico?

487. Factum illud, quod secundo loco superius attingebam, jam paulo pluribus examinandum est. Manricus his verbis illud narrat num. 8: « Non desunt item auctores, iique graves, quibus placeat, Virgineum illum favorem, haud satis unquam ab ullo prædicatum, quamvis ab omnibus semper prædicetur, de Bernardo irrorato Mariæ lacte, forte ad hoc idem tempus referendum. Quod a Guilielmo Eysengreino in Chron. Spirensi primum traditum (utinam indicasset annum Manricus!) a Canisio Costeroque approbatum (non dicit ubi noster Bivarius lib. II, Bernardi vendicati § 10 et alii, « nimirum » Henriquez in Menologio, Maii 13 confirmavere. Nobis, ut favor ipse certus sit, quem tamen non defuere qui negaverint (ponitur ad marginem Joannes Bertelius Dialogo 8) levi licet et crasso fundamento, locus et tempus dubia adhuc existunt: et de tempore vix aliquid scribi: de loco, si quid certi ha-

beri potest, ad Castellionem censeo referendum. Sed de his aliisque non dissimilibus agendum latius sub viri Dei obitum, in quem locum consulto reservamus. » Sed nos consulentes hujus rei ordini et perspicuitati, hanc, de qua tractare jam coepimus, continuato sermone prosequemur, ab anno 1153, cap. 12, quo Manricus illam transtulit, uberiorem ejusdem narrationem huc revocantes.

488. « Insignes Christi, » inquit, « et Virginis favores Bernardo Patri exhibitos, et sub quibus plerumque depingi solet, nunc irroratus lacte Mariæ virginis, nunc strictus brachiis pendens Redemptoris; atque item alium, etsi minus vulgarem, non minus certum, quo mater Filium eidem sancto obtulit; quia fixum tempus concernere non reperi, in hunc locum consulto reservavi. Et quidem eos traditione (potius quam scripto acceptos, compertum est, constanti illa, atque a patribus ad filios derivata quasi per manus: cujus aut minor fides, aliquando inconversior esse solet, hoc in antiquis, fateor, rariori, et picturis expresso magis, quam litteris, non tamen ideo minoris æstimando, » etc. Sic præfatur Cisterciensis historicus, moxque incipit a Christo; de quo nos inferius dicemus. Deinde sic pergit num. 6, ad rem nostram: « Quod attinet ad lac beatæ Virginis, receptius adhuc et vulgatus sacris iconibus: ut magis variant de tempore auctores, loeque, quam de ipso favore: quem Bernardo concessum, non est qui ambigat. Unus Joannes Bertelius, quem ego viderim, revocat in dubium dialogo 8 in Regul. S. Benedicti; sed adeo crasso et supino fundamento, ut nec mereatur a nobis confutari. Quia nemo dubitat (ait) super multa sæcula Mariam ante Bernardum præcessisse. Quasi vero quis unquam cogitaverit, Virgineum sacram, mortalem ac passibilem, sugendum pectus Bernardo propinasse, aut quasi post gloriosum ipsius transitum, tum in cœlis gloriosa, tum in suis imaginibus in terris, non maneret æternum duratura. Cæterum his omissis, quia levibus, ex aliis nullum video dubitasse

489. « Verum est tamen, quod de loco auctores variant, quibusdam referentibus ad Spiram, cum Matrem Virginem, clementem, piam, dulcem, Bernardus Pater devote salutasset. At non Spira, sed apud Castellionem Lingonum oppidum, neque in tanta frequentia contigisse, verosimilius est. forte cum sanctus Pater ad unam aliquam ex illis legatis, ad quas mitti solebat, humilis perrecturus Virginis matris auxilium imploraret. Porro tunc creditur oblatum a Matre Filium, quem Bernardus susciperet, et cui portando seu manibus exterius, seu interius in corde, se totum, daret, et qua auspice nihil timere posset. » Hactenus historicus Cisterciensis: qui cum superius, ut vidimus, candide fateatur, mirabilem hunc Virginei lactis favorem, « a Guilielmo Eysengreino in Chronico Spirensi primum traditum, » neque assignantur antiquiora monumenta, unde chronologus iste traditionem hanc accepit, quis-

nam vitio nobis det, si dixerimus novitiam esse traditionem illam favoris Bernardo impensi, cum hic obierit anno Christi 1153, ille autem scripserit sæculo sexto decimo, utpote qui suum Chronicon perduxerit usque ad annum Christi 1561. Confirmatores autem vel approbatores, quos Manricus nominabat, Eysengreino posteriores seu suppres, an ponderis aliquid vere historici possunt addere primæ traditioni Eysengreiniæ? Adde, quod hic chronologus parum sibi conciliet auctoritatis, dum vel primus procedit, vel ex alio adoptavit ineptiam illam, quam antea num. 486, castigavimus.

490. Sed ne dissimulemus alia, quæ congerit Manricus a num. 7. « Exstat, inquit, authenticum R. domini Edmundi a cruce, tunc abbatem Cistercii, ad Fiteriensem Ignatium Firminum transmissum anno 1599, (quod ipsum, inter alias ejus schedas, apud me habeo) de hoc favore loquentis in hunc tenorem: In ecclesia S. Beroli castri Castellionis super Sequaniam, Lingonensis diæcesis, quedam imago in veneratione, et honore beatæ Virginis Mariæ antiquitus exstitit constructa, quæ quidem imago S. Bernardo oranti filium suum obtulit miraculose in ecclesia dicens: Bernarde, suscipe puerum meum totius mundi Redemptorem. Deinde quoque ultra omnem humanæ naturæ virtutem, ac si Christi frater naturalis fuisset, manu dictæ imaginis suscepta mamilla, illico beato Bernardo sibi devoto tres guttas lactis, ab ejusdem imaginis mamilla profluentem, miraculose distillabat. » Hactenus testimonium venerandi abbatis: quod Antonius Hiepius ad hunc annum c. 5, et Franciscus Bivarius lib. I, Bernardi vendicati, aliique memorant. Quin et Henriquez in suo Menologio, Maii 13, iconis meminit (ejusdem ut puto) et subscriptionis Gallicæ, quæ in Latinum conversa priorem partem favoris testificatur, sic enim habet:

Bernarde multum dilecte, mi capellane,

Cape, suscipe de mea manu

Dulcem Jesum, Servatorem mundi. »

Quasi ea Bernardo adhuc viventi orantique puerum Jesum obtulisse perhibeatur.

491. « Idem, qui supra, » subdit Manricus n. 8. « Chrysostomus Henriquez aliud recentius adhuc testimonium superinducit ex ipso, ut ait, Castellione Lingonensi ad R. abbatem Castellionis Viridunensis nuper transmissum, a quo et se illud testatur accepisse. Porro in eo, ultra facti traditionem, sacram effigiem hodieque manere, et, quod mireris, conservare adhuc, seu repetere magis memoriam facti, productis testibus, idemmet, qui perhibuit, testificatur: In Castellione (ait) imago est B. Virginis, quæ sanctum Bernardum suo lacte quodam irrorasse fertur. Cum enim in B. Virginem singulari flagraret amore; se quoque in eam, coram prædicta imagine indefesse orantem, matrem esse monstravit. In dicto castro sacellum erat, in cuius parte sinistra beatæ Virginis imago consistebat. Ibidem miles quidam demoratur vocatus Picant, qui suo fungens officio in

bellis civilibus circumeundo castrum, in dicto sacello, plus quinquages, voces canentes Ave, maris stella, audisse testatur. Dictum enim miraculum accidisse memoratur, cum, Monstra te esse Matrem, a S. Bernardo proferretur. Bellis sopitis, castroque destructo, in templum tutius conservanda deportata est, ubi magna cum veneratione, et populæ concursu, maxime vero, ubi temporis necessitas exigit, in loco celebri, et eminenti asservatur: ex quo acponitur a tribus sacerdotibus trium dierum jejunio præparatis, et solemnè in processione, una cum reliquiis S. Veroli, a plurimis virginibus, eodem jejunio triduo præmisso, devotissime circumfertur. Sunt Castellione qui dicant, eundem imaginem lactis guttas cum dimittitur, stillare. Nunc quoque supersunt duo vitæ probatæ presbyteri illic demorantes, unus Edmundus vocatur; alter Clemens, quondam præceptor domini vicenentis Gaillard, qui clare, et palam affirmant, in manus tertii sacerdotis, qui Jacobus Viandot dicebatur, modo defuncti, lactis copiam defluxisse, ita ut sacristiam petere, illicque manus abluere cogeretur. Hactenus ibi: quæ si certa sunt, ingentem facto conciliant, et fere supra humanam fidem, auctoritatem.

492. « Philotheus, » sicut pergit Manricus num. 9, « de favore lactis pressius succinctiusque; verum non semel concessum Bernardo tradit:

Quid referam quoties summi Regina theatri

Nectareos illi visa movere sonos?

Sæpe suum Virgo famulum venerata solebat

Visere, et ambrosias sæpe referre dapes.

In Hiepio lego, traditione item acceptum, apparuisse Bernardo Christum simul cum matre; ac sancto medio hinc inde velut certatim obtulisse cruorem simul, et lac; illum de Christi vulnere manentem; hoc de Virginis mamma; utrumque cœleste, utrumque irradians, et fecundans Bernardi ora. Tum vero sanctum, utrumque veneratum, et neutro se fraudari æque ferentem, tandem in ea verba prorupisse, quæ communiter Augustino tribui solent: *Hinc pascor a vulnere: hinc lactor ab ubere. Positus in medio, quo me verum nescio.* Sed hæc, ut credo, piarum mentium devotio, quam rei veritas, aut eventus simultaneus magis conjunxit: et neque video in probato alio auctore traditionis notitiam; neque de facili credenda, nedum asseveranda similia puto. Exstant et inter Opera Nicolai Saliceti quedam alia Bernardo Patri ascripta, minori digna fide, quam ut locum mereantur in his Annalibus. » Sic ibi. Porro de Philotheo et Saliceto nonnulla observabo in fine paragraphi proxime sequentis. « Ignatius » vero « Firminus, de Hiberò, monachus Nucalensis in Hispania..., ac deinde celeberrimo Fiteriensi monasterio, (in) regno Navarræ » datus « abbas, » laudatur in Bibliotheca Cisterciensis pag. 167.

493. Virgineum hunc, quo de superius est actum lactis favorem in sensu physico et reali, non autem in mystico duntaxat intelligi debere, contendit

etiam Sartorius supra citatus : « Quod sialiqui asserant, « inquit p. 91 et sequente, « Bernardum lactatum quidem a Virgine fuisse, non tamen in carne, seu labiis carnalibus, neque per lac reale ac physicum, verum duntaxat in spiritu, et per mysticum quemdam influxum, hoc utique est antiquæ veritati, quæ tot calamis, tot penicillis per quinque et amplius sæcula firmata est, suspicionem affricare : quasi vero veteres illi scriptores non scivissent æque distinguere, ac nos, inter influxum illum mysticum, ac physicum et realem. Utraque lactatio concedenda Bernardo est, et illa in spiritu, et hæc in carne : non neganda hæc altera, quam utique principalis intenderunt historici veteres et sinceri. » Hactenus Sartorius satis liberaliter. Sed utinam « antiquæ isti veritati, quæ per quinque, » uti vult, « et amplius sæcula firmata est, » accommodato saltem vel unico documento subsidium attulisset, et suspicione » amovisset, quam rei gestæ affricari dicit. Quinam, amabo, sunt « veteres illi scriptores ; » qui nam « historici veteres et sinceri, » quos dicit, sed non nominat? Regeri enimvero ei potest illud Mabillonii, viri in rebus S. Bernardi longe versatissimi, sinceri item, et de scriptis, virtutibus, ac miraculis ejus optime meriti, quod in fine Fragmentorum ex Herberti libris de miraculis Cisterciensium monachorum, in sua editione sæpius antea laudata notat col. 1231 et 1232. « In omnibus, » ait, « S. Bernardi miraculorum libris nulla uspiam mentio de miraculo illo lacte, a beatissima Virgine in Bernardum expresso : quod tamen miraculum præ aliis carissimis a pictoribus, et ab incautis sancti Doctoris devotis nunc venditari cernimus. »

494. Venerabilis Guibertus abbas B. Mariæ de Novingento, quem anno 1651, Lutetiæ Parisiorum in lucem dedit ac notis illustravit Acherius, lib. III, De pignoribus sanctorum, cap. 3, § 4, pag. 353, lac Virginis matris, quod « Lauduni... in columba cristallina huc usque, » ait, « retineri dicitur, » improbat. In quem locum laudatus Guiberti editor varia animadvertit in notis et observationibus pag. 375 et sequentibus : sed unicum, et quod potissimum huc spectat, inde excerpto : « Lac et B. Bernardo Clavallensi eandem cœlorum Reginam infudisse ferunt scriptores nonnulli ; sed quo fulciantur vero, judicent, qui gesta illius a tribus synchronis auctoribus exarata (quibuscum perquam familiariter Bernardus est conversatus) excusserint. Quo enim modo fieri potest, ut, relatis ultra centum miraculis, hoc am insigne oblivioni tradiderint? Ita Joan. Bertelius lib. VIII, in Regulam S. Benedicti : quem Chrysostomus Henriquez confutat in Menologio Cisterciensi ad diem 13. Maii, et Angelus Manrique Annal. Cisterciens. tom. II, anno 1153, cap. 12. » Hic qui respondeat Bertelio, nuperrime jam diximus : quænam autem e Chrysostomo Henriquez ab eodem Manrico afferantur pro tuenda veritate præsentis facti, etiam superius indicavimus. Enimvero qui utriusque hujus scriptoris Cisterciensis argumenta,

A seposito partium studio, mature expenderit, et contulerit cum argumento Bertelii ac Mabillonii, tametsi negativo, ut vocant, multum fallor, si non his potius, quam illis palmam delaturus sit ; hujusmodi enim argumenta, tametsi duntaxat negativa, majoris non raro sunt momenti, spectatis rerum ac scriptorum circumstantiis, quam affirmativa. Rationes denique quæ superius desumebantur a picturis, et a pietate populari, refutationem non merentur operosiores. Ex his, quæ hactenus in utramque partem de præsentis controversia sunt disputata, concludimus, videri nobis ad verum magis accedere opinionem illorum, qui non admittunt, S. Bernardum physice seu realiter Deiparæ lacte fuisse aspersum.

B § XLVII. *Salutatio imaginis Deiparæ in cœnobio Afflighemensi ; Jesus cruci affixus, solutis ab ea brachiis Bernardum amplectens.*

495. Traditio est virum sanctum, dum in cœnobio Afflighemensi Ordinis S. Benedicti, quod in Belgio situm est inter Bruxellam et Alostum, ab imagine Deiparæ salutatum fuisse. De altero isto, eoque prorsus singulari Deiparæ virginis erga S. Bernardum favore, de quo superius ad me receperam agere, traduntur ista : « Celebre monasterium Afflighemense, « uti scribit Manricus ad annum 1447, cap. 3, agens de locis in Belgio, quæ vir Dei adivit, « in transitu visitatum a sancto Patre, traditio constans est ejus ecclesiæ, ubi et monachos ad Cisterciensium normam reformari, repetita oratione, irritò licet conatu, nixus fuerit : sed nihilominus baculum, quo imbecilles artus sustentare consueverat, amici animi pignus, dereliquerit, quem hodieque observant et venerantur. Quin majus quid ibidem contigisse, productis etiam antiquis monumentis Afflighemensibus affirmant : quod ab Arnaldo (Raissio) ante paucos annos vulgatum, quia multa veritatis indicia præ se fert, ejusdem verbis placuit huic subjungere. » Laudatus itaque Arnoldus Raissius in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii Joannis Molani, ad diem 20. Augusti hæc notata posteritati reliquit : « Eodem in cœnobio quondam visebatur sacra beatæ Virginis statua, quæ beatum Bernardum allocuta est, sub Godescalco abbate : cujus rei hi versus, ex Annalibus dicti monasterii excerpti, fidem astruunt :

D *Bernardus Mariæ ait, Mea, ave tu, Virgo beata, Et tibi, Ave, Bernarde, ego imago redico volenter.*

496. « Cui astipulatur Chronicon Gemblacense, ita dicens : *Ante Belgii desolationem, atque in ipso Belgio fidei catholice labefactionem, in monasterio Afflighemensi Dei Genitricis erat imago, cui valelicens Bernardus, Vale, inquit, alma Maria, At, Bernarde, vale, ait sancta Maria.* Imago hæc beatæ Mariæ in ulnis Christum gestabat, sculpta ex candido et molliori lapide, arena nigra nonnihil inspersa (quam Brabantii *labender-steen* nuncupant) longitudine quinque aut amplius pedum, opere et habitu prorsus antiqua, velo ex capite dependente in humeros. Quæ

imago hac ultima tempestate a quodam protervo nebulone ex basi dejecta et confrica fuit, putans [al. putante] ligneam esse, ut inde ignem construeret. Ex quibus partibus duæ aliæ sculptæ sunt : quarum una Afflighemii asservatur ; alia vero Patribus Societatis Jesu Bruxellensibus a priore donata. » Hisce e Raissio de famosa salutatione illa Deiparæ recitatis, audiamus quænam subjiciat Manricus num. 9. « Certant igitur, inquit, Affligemium, Spiraque de imagine Deiparæ, quæ Bernardum Parentem salutantem resalutaverit, atque utraque monumentis antiquis nixam firmatamque traditionem præ se fert, cui vix erit, qui audeat contrahire ; nobis, ut neutra vincatur, vincat utraque, et repetitum favorem, quod solum superest, pia credulitate persuadeat. » Sed, dum ita loquitur Manricus, hæret in cortice, et rei medullam non penetrat.

497. Nam de « pia credulitate » non est hic questio : equis enim neget, traditionem Afflighemensem, (adde etiam, si vis, Spirensis, de qua superius est actum) pie credi posse ? Astejusdem veritatem probare ex synchronis rei gestæ testibus vel scriptoribus, vel e documentis historice certis, hoc opus, hic labor est, Inspiciamus itaque tantisper testimonia e Raissio allegata. Antonius Sanderus in Historia rerum Afflighemensium, quæ Brabantia ab ipso edita inserta est, similia iis, quæ modo retulimus, narrat pag. 8, uti etiam Continuatio Chronici Afflighemensis, quod ex variis ejusdem abbatiæ monumentis prælo vulgatum legitur in Spicilegio Acheriano tomo X, pag. 610 et sequentibus. Historiæ autem, qua de hic est sermo, pag. 613, subjicitur, imaginem hanc Deiparæ summa apud laudatos cœnobitas in veneratione habitam fuisse : nam « mos obtinuerat » apud illos, « ut mane nunquam a dormitorio in ecclesiam irent, nisi per salutationem angelicam hanc imaginem salutassent. » Hanc continuationem præcedit Historia prædicti monasterii in eodem Spicilegio tomo : cujus editor scribit ista ad lectorem pag. 23 : « Adjecimus continuationem seu epitomen illius historiæ, ex veteribus monumentis et authenticis conscriptam a D. Odone Cambiero, itidem Afflighemensi, dum in vivis esset, in rebus antiquis apprime versato. » Porro hujus conscriptoris seu collectoris ætas ex his innotescit verbis, quibus opusculum suum claudit : « Novissimus his temporibus nostris Benedictus Hæftenus, qui sanctissimum et clarissimum Patrem Benedictum maximis illustravit splendoribus. » In lucem namque dedit Disquisitionum monasticarum libros duodecim, quos illustrissimo D. Jacobo Boonem, archiepiscopo Mechliniensi, et abbatiæ Afflighemensis prælato dedicavit ibidem præpositus anno 1644.

498. Exstat apud nos aliud Chronicon Afflighemense, quod notatur N Ms. 5, cuique manu propria ascripsit noster Heribertus Rosweydeus, « ex Ms. Afflighemensi recentissimo » excerptum illud fuisse. Id quod indicio est, Chronicon illud vel a recentissimo tunc temporis scriptore fuisse aliunde collectum,

A vel ab hoc ex alio collectore transcriptum. Signatum reperio in ejusdem fine annum 1514 ; nam, tametsi alia deinde sequantur, quæ ad monasterium Afflighemense pertinent, videlicet liber quintus in tres partes divisus, non tamen is chronologiam continet, sed materiem omnino diversam. In dicto autem Chronico ista leguntur : « Anno 1148 (apud Sanderum pag. 10, scribitur 1146), dominus Petrus sponte sua abbatiæ onus deponit : in ejus loco constituitur dominus Godscalcus, bonæ spei juvenis, quia de nobili et sancta gente originem duxit. » Postea vero hæc dicuntur : « Anno Domini 1164, dominus Godscalcus pastoralis curæ onus deponit, » etc. Inter illud autem tempus regiminis Godscalci mentio quidem fit de « S. Bernardo ; » sed nihil tunc ibidem invenio de salutatione, qua Deiparæ statua virum sanctum imperterit, quod tamen accidit se sub « Godscalco abbate, » affirmabat supra Raissius ; Continuatio autem Chronici Affligemensis apud Acherium, « sub initio hujus prælaturæ » factum esse memorat. Quæ res, cum debuerit esse valde famosa apud cœnobitas Afflighemenses, eorumque monasterio admodum honorifica, mirum videtur, nihil a prædicto collectore vel transcriptore de ea tradi. Ex Chronico autem Gemblacensi, quod supra citabatur, conficitur, miraculosam illam Deiparæ imaginem in monasterio Afflighemensi ante feriales in Belgio tragædias, sæculo Christi decimo sexto ab hæreticis excitas, fuisse cognitam, atque adeo pro tali honoratam.

499. Antiquiora vero istius traditionis monumenta in promptu nobis non sunt. Apud Gaufridum, monachum Claravallensem, et viri sancti in itinere Belgico comitem, qui singillatim et accurate in parte III miraculorum, seu lib. VI, Vitæ cap. 5, ejusdem itineris ephemeridem contexit : quam ne hic cum fastidio lectoris retexamus, cum loco citato inspicere ea possit, satis nobis erit nomina locorum, ad quæ divertit vir sanctus, annotare. Leodio itaque post prædicationem Germanicam pro bello sacro profectus est ad oppidum *Huy*, seu *Huum*, diocesis Leodiensis ; Huo *Gembolium*, seu *Gemblacum* ; inde *Villare*, seu *Villariense* monasterium petiit ; hinc *oppidum Fontanæ* ; Fontana ad castrum *Bins*, id est, *Binchium*, oppidum Belgii in Hannoniæ Comitatu se contulit ; Binchio eum excepere *Mons castrum*, seu nunc *Montes Hannoniæ* ; postea *Valencenæ*, seu nunc *Montes Hannoniæ* ; monasterium *Humberiæ* ; *Laudunum* ac *Remi*, etc., denique suo Claravallensi cœnobio fuit restitutus. Hinc vides, virum sanctum illic rediisse per tractum Gallobelgicum ; non vero per Flandrobegium, in quo situm est monasterium Afflighemense. Hoc autem iter, quod descripsimus, respicit tempus quo narratur res prodigiosa sæpe memorata Afflighemii accidisse. Eo autem tunc divertisse Sanctum nostrum, e superiore peregrinationis ephemeride extundere nos haud possumus, neque meminimus nos id legere apud alium biographum primigenium. Sanderus tamen inter elogia cœnobii Afflighemensis pag. 7, S. Bernardum ita illud